

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica X. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA X. POST TRINIT.

*Evangelium Luc. 19. v. 41. ad fin.*

## EXORDIUM.

**C**Um Noa, Præco ille justitiæ post diluvium vineam plantavisset, bibensque vinum inebriatus esset, inde nudatus jacebat in tabernaculo suo: quod cum videret Cham, verenda scilicet Patris sui esse nudata, illustravit Patri suo. Evigilans autem Noë ex vino, cum didicisset, quæ fecerat ei filius minor, ait: Maledictus puer Chanaan: servus servorum erit fratribus suis, Genes. 9. v. 20.

Deus est, qui fecit vineam in cornu filio olei, & sepivit eam, & lapidibus construxit eam, & consecit eam vitibus nobilissimis & præstantissimis, Esa. 5. v. 1. 2.

Hæc intelligitur Ecclesia, quam Christus ipse vineæ confert, Matth. 20. v. 1. Sicut enim vinea exterius sine splendore est, si aliis viridatis conferatur: Sic etiam Ecclesia in hoc mundo, est lampas contenta apud cogitationes divitum, Joh. 12. v. 5. Deo vero eò gravior est: & quemadmodum hanc vineam sanguine Filii preciosè acquisivit sibi, Act. 20. v. 28. præ amore quasi inebriatus singulis annis expectat, ut faciat uvas, Esa. 5. v. 3. Quando verò omnis expectatio frustranea est, & impius mundus longanimitate ejus ad peccata abutitur, excitatur tanquam dormiens, & quasi Heros jubilans à vino, Psal. 78. v. 65. & maledictione impetit ejusmodi illusores, ut quasi in signum ponantur, in quod omnia tela variarum pœnarum irruunt,

Job. 16. v. 13. & si hoc modo ad pœnitentiam adduci non possunt, eos aliquando cum maledictis abjiciet in ignem æternum, Matth. 25. v. 41. ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, Esa. 66. v. ult.

Exemplum prostat in Ecclesia Judaica, quam Deus ex omnibus populis in peculiis sibi elegerat, & veluti vitem sæcundam de Ægypto transtulerat, plantaverat eam, ut operiret montes umbrae ejus: & palmites ejus Cedros Dei, Psal. 80. v. 9.

Verum ubi planè degeneres, non modò labruscas ferebat, Esa. 5. v. 3. sed etiam convertebantur in palmites vitis alienæ, Jer. 2. v. 21. tandem defessus est misereri, Jer. 15. v. 7. & tetendit arcum suum quasi inimicus, extendit dexteram suam, quasi hostis: & occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filia Sion, effudit, quasi ignem, indignationem suam. Factus est Dominus veluti inimicus: præcipitavit Israel, vastavit omnia Palatia ejus, Thren. 2. v. 4. 5.

Hoc factum est ultimâ vice per Romanos, sub Imperatore Vespasiano, ejusque filio Tito, A. C. 69. ubi omnia ad unguem impleta, quæ Servator in hodiernâ Pericope de eorum interitu prædixit: Veni dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosterrent te, & filias tuas, quæ in te sunt &c.

Planè

Planè enim desolata & in acervum lapidum redacta est, decretumque est, quod usque ad consummationem perseverabit, Dan. 9. v. 27.

Videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Quod Salomo dicit de civitate, contra quam venerit Rex magnus & valaverit eam, & vir pauper & sapiens poterit eam liberare per sapientiam suam, si quis illius recordatus fuisset, Eccles. 9. v. 14. id haud inconcinnè Hierosolymæ applicari potest. Hæc à Romanis obsidione cinctæ & valdè coangustata est, potuisset autem liberari, si pauperis & sapientis Christi recordati fuissent, & in tempore, quæ ad pacem suam pertinerent, perpendissent. Videns enim urbem, flevit super illâ, quò indicavit, nihil se magis in votis habere, quàm ut ab instanti interitu illa præservaretur. Propterea petiit, Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi &c.

Querela respicit

I. Judæorum obdurationem, quod nullo modo Christi admonitioni locum reliquerint, de quo ipse conqueritur, in prælecta Pericope, inquit, quod cognoscere noluerint. Hoc ita justo Dei judicio factum, qui ejusmodi homines tandem in perversum sensum tradit, ut dicant: pax, pax, & non est pax, Jer. 6. v. 14. De obduratione enim & occæcatione verè dici

potest, quod sit peccatum & pœna peccati. Mundus cæcus est, & tamen perspicacior esse vult, quàm Deus omniscius, idèd exprobrat id Judæis, dicens: Locutus sum ad te, cum res adhuc salvæ essent; Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam, Jerem. 22. v. 21.

Infans, qui ire incipit, & adhuc titubat pedibus, si non duci vult manu parentum, sed eripit se ab iis, tandem quidem dimittitur, sed & pœna insequitur, ut in faciem prolabatur. Eodem modo Deus agit cum filiis immorigeris, quando illi ab ipso duci nolunt, excusso regimine ejus; non audit populus meus vocem meam, & Israel non amat me, dimisi eos, secundum cogitationes cordis eorum, ibant in adinventionibus suis, Psal. 81. v. 12. & hæc obduratione pœnas Dei præcedit, ut Ethnicus ille testatur, inquit: Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, auferre mentem talibus prius solet, caliginemque effundit, ut ruant suas furenter in clades. Id in Judæis adèd impletum est, ut vel ipse Josephus scribat: Puto, si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodoma incendia passuram.

Si perpendimus, Vos mei! qualis in hac mundi fecerorum facies sit: sanè inficias ire nequimus, sed fateri cogimur, Deum Spiritum vertiginis plurimis immisisse, ut quidem videamus omnis generis peccata patrari, sicut Christus & Apostoli dudum prædixerunt, Matth. 24. v. 37. Luc. 17. v. 1. 21. v. 34. 2. Tim. 2. v. 3. Verùm exitum, quod simul annunciat, non ponderamus, utin tempore resipiscentes, mediis illis

c c c

illis

illis utamur, quæ ad pacem nostram pertinent: sed profanæ sunt viæ nostræ omni tempore, alta sunt iudicia Dei coram nobis, Psal. 10. v. 5.

Quis recordatur amplius trigesimalis belli, quod universam nostram patriam inundat? Quis terrentissimæ pestilentiæ, ubi ceciderunt à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris? Psal. 91. v. 6. quis mundiciem dentium, & indigentiam panum, in omnibus locis nostris: Amos 4. 6. ubi melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuere, consumiti à sterilitate terræ, Thren. 4. v. 9.

Hoc non latet Deum, ideoque nos aliquoties denuò præmonuit, cum per belli tempestatem, tum per varios morbos, tum etiam per insolitum Cometam: quæ omnia nihil aliud sunt, quam Præcones pœnitentiæ, ut in nos ipsos descendentes, quilibet dicat: Quid feci? Jerem. 8. v. 6. Verùm non irridetur Deus, Galat. 6. v. 7. Est ille justus iudex, & Deus minitans per singulos dies, Psal. 7. v. 12. 14.

II. *Romanorum grassationem*, de quâ Christus: Veniat dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

Hic processus bellicus est. Ibi enim civitates obsidentur, & igne ac fame ita coangustantur, ut homines in petras & foramina terræ se abscondant, sicut & Hierosolymis factum est, hõc modo multa loca munita vi occupantur, quæ alias expugnari non potuissent. Quando enim homi-

nes fame ita macerantur, defendere se non possunt, & ita deditionem ad hostem facere coguntur: qui sæpè crudelissimè eos tractat, & instar pecorum mactat, ut & infantum in utero materno ratio non habeatur, 2. Reg. 8. v. 12. c. 15. v. 16. Multis manuum pollices amputantur, ut Adonibezec septuaginta Regibus fecit, & ita pœnam talionis expertus est, Jud. 1. v. 7.

Multis oculi effodiuntur, ut Regi Zedekia factum, Jer. 52. v. 11. Ita Basilius Imperator Constantinopolitanus egit cum Bulgaris, quorum quindecim millia cepit, iisque oculos eruit, ita tamen, ut inter centum uni oculum relinqueret, qui residuos nonaginta novem domum reduceret.

Interdum populi congregantur ut arena, Hab. 1. v. 9. & instar pecorum abiguntur, ut in peregrina terrâ moriantur, El. 22. v. 15. sive pueri dantur pro cibo, & puellæ venduntur pro vino, ut bibantur, Joel. 3. v. 3.

Tandem & civitates quandoque exciuntur, & igne comburantur, & solæ æquantur, sicut Abimelech Sichem fecit, Jud. 9. v. 45.

Breviter: Bellum est sentina malorum, in qua omnia mala confluunt, unde & absolute malum dicitur, Esa. 45. v. 7.

Serò proindè oremus: Da pacem Domine, in diebus nostris. Non enim fugit nos, quid moliat in infernalis Cacodæmon, quomodo operosus sit ad novum bellum ferendum, coram eo enim gaudet mœror, Job. 41. v. 13. Sicut igitur recidivorum morbi corpori humano prioribus periculosiores sunt: ita etiam bellum dilectam patriam nostram procul dubio magis affligeret, postquam illa viribus suis ener-

vata

vata est, ut clausi quoque defecerint, & residui consumti sint, Deut. 23. v. 36.

Qui sapit admonitioni locum relinquat, & emendet vitam. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor &c. Matth. 3. v. 10.

III. *Contrariam Pontificum & Scribarum imaginationem*, qui quærebant Christum perdere.

Hæc gratia Christi est, quam reportat, quod templum ille purgat. Hæc fors adhuc hodiè omnes fideles verbi Præcones manet. Mundus enim omnes fideles admonitiones spernit, omnem castigationem respiciens. Si quis liberius paulò loquitur, responsum capit: Num Consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te, 2. Chron. 25. v. 16.

Johannes Hussus fidelis ille Ecclesiæ Doctor, templum repurgaturus erat, à quisquiliis, quibus Pontifex & Satellites ejus illud fœdarant: verùm insidias vitæ ejus tendebant: & ubi non inveniebant, quid facerent, salvum conductum ipsi pollicebantur, ut in Concilio Constantiensi, ad rationem de doctrina sua reddendam apparetet, verùm contra datam fidem ipsum cremabant, cineres ejus in Rhenum dispergentes.

Quid B. Luthero accidit? Et ipse templum purgare incipiebat, indulgentiarum nundinatoribus inensas subvertebat, & ejiciebat illos verbo Dei. Hinc Papa Romanus ejusque affectu quærebant illum perdere: & quamvis gratia Dei ipsi incommodare non potuerint, attamen virulentissimas calumnias in eum effuderunt, eumque permisso Dei lingua percusserrunt, Jer. 18. v. 18.

Qui adhuc hodiè manus satum fideliter obit, peccata & flagitia justo zelo taxans, nil nisi odium & persecutionem expectet: Non sumus meliores patribus nostris, 1. Reg. 19. v. 5. Si patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? Matth. 10. v. 25.

Verùm vindicta Dei inveniet ingratos hos hospites suo tempore. Qui enim reddet mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13. Commendemus modò vindictam Domino, ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

*De Secundo.*

*S*equitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex lacrymarum Christi consideratione*, quæ profluunt,

1. *Ex rivulo affectus paterni*, quem hoc ipso Judæis & toti mundo commendat. Quomodo enim pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentium se, Psal. 103. v. 13. hinc appellatur Pater æternitatis, Esa. 9. v. 7.

Quando probus pater filiorum interitura videt, quos labore & molestia educavit, animi ille propterea angitur, & dolore perturbatur, ut Davidis exemplum de interitu Absolonis dolentis, probat, 2. Sam. 18. v. 33.

Sic Christum valdè sollicitum reddidit, cum Judæi spirituales ejus filii ipsi obsequi renuerent, incitato vero cursu in interitum ruerent, non enim delectatur in ullius hominis perditione, Tob. 3. v. 22. sed mavult, omnes ad agnitionem veritatis & salutem pervenire, 1. Timoth. 2. v. 4.

2. *Ex rivulo affectus materni*: consolatur enim fideles suos, ut mater, Esa. 66. v. 13. & licet mater obliviscatur infantem suum, tamen non obliviscetur nostrum, Esa. 49. v. 15.

3. *Ex rivulo affectus fraterni*. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini; & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret &c. Hebr. 2. v. 14.

Sicut igitur Josephus cor suum fraternum abscondere non poterat, cum fratres ejus, quos per viginti duos annos non viderat, ad eum in Egyptum venirent, sed effusè lacrymabatur ad conspectum illorum, Genes. 45. v. 2. sic & Christi viscera conturbantur, ubi Hierosolymam intuetur, & gravissimam pœnam prœvidet, quâ fratres ejus Judæi, propter incessabilem impœnitentiam afficiendi erant, idèd lacrymis genas humectat, & hoc modo fraternum suum in illos affectum contestatur, quem & his verbis prodit: Nonne Ephraim est filius mihi carissimus? nonne in hoc filio sunt delicta mea? Idcirco conturbata sunt viscera mea, super eum: miserans miserebor ejus, Jer. 31. v. 20.

II. *Ex Ecclesia reformatione*. Ubi enim Servator Urbem ingreditur, non in cautionem divertit, sed rectà in templum pergit, ejiciens vendentes in illo & ementes, qui illud hoc modo profanaverant, & in speluncam latronum commutaverant.

Hoc beneficium fideles Deus nobis quoque multifariam exhibuit, purgavitque Ecclesiam suam semel, per electum suum Organon B. Lutherum, qui nundinationibus Populicis finem imposuit, & indulgentias ejus adeo exosas reddidit, ut

ut nullos emtores invenerint amplius, sicut superius dictum. Deindè per pacis reductionem, ubi multis in locis Monachi & Jesuitæ Ecclesias relinquere coacti, quas tempore belli de facto occuparant, ut jam confidenter prædicetur in illis, Psal. 12. v. 6. & tertio templa sua continuè mundat per fideles Ecclesiæ Ministros, & Pastores, quando impiam doctrinam & prophanam vitam reprehendunt, & ita evellunt & destruunt, quod Diabolus plantavit, Jerem. 1. v. 9.

Nos grato id animo agnoscentes, templa & sacra nostra èd diligentius invisemus, qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 4. quin & insigni utilitate afficietur expromisso Dei: in quo enim loco memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Exod. 20. v. 24.

III. *Ex consiliorum hostilium annihilatione*. Principes enim Sacerdotum & Scribae, & Principes plebis, quærebant illum perdere: at non inveniebant, quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Non igitur in Tyrannorum potestate situm est, ut nobis injuriam inferant, vel planè vitam eripiant. Omnes capilli capitis nostri numerati sunt, unus ex illis non cadet super terram, sine voluntate Patris cœlestis, Matth. 10. v. 30.

Jezebel Eliæ mortem juraverat, sed non poterat implere juramentum, Deus enim curru igneo, & equis igneis vivum eum in cœlum assimebat, 2. Regum. 2. v. 11.

Sic Rex Joacim Præfectis suis mandavit, ut comprehenderent Baruch Scribam, & Jeremiam Prophetam: Verùm frustra

id

iderat, Dominus enim absconderat eos, Jer. 36. v. 26.

Laban insequabatur generum suum Jacobum, ut noceret ei: sed vidit in somnis sibi dicentem Dominum: Cave, ne quicquam asperè loquaris contra Jacob, Gen. 31. v. 24.

Hostibus nostris voluntas hæcenus non defuit nobis nocendi, ut truculentiam suam in nos exsereret, verùm non permisit id Deus:

Magnas agant asturias,

Vadit Deus vias suas

Manu suâ retractans.

Hic ulterius adhuc protegat nos adversus machinationes sanguinarias inimicorum nostrorum, & prohibeat, ne portæ interorum prævaleant adversus Ecclesiam suam, Matth. 16. v. 18. tandem quando satis in acie steterimus, liberet nos ab omni malo, & salvos faciat in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

*De Tertio.*

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt:

I. *Tempus visitationis agnosce.* Id Judæi non fecerunt. Deus majoribus eorum multa beneficia exhibuerat, eosque quasi super alas aquilarum portaverat, Exod. 19. v. 4. cibaverat illos panibus de cœlo, Exod. 16. v. 4. potaverat illos aquâ de silice, Num. 20. v. 11. è servitute Ægyptiacâ eos liberaverat, Exod. 14. v. 29. sicut oves per desertum deduxerat, Psal. 77. v. ult. per diem in columna nubis, & per noctem in columnâ ignis, Exod. 13. v. 21. & tandem induxerat in Regionem, lacte & mele manantem,

Num. 14. v. 8. ubi accipiebant civitates magnas & optimas, quas non ædificaverant, & domus plenas omnis boni, quas non impleverant, cisternas, quas non fodaverant, vinea & oliveta, quæ non plantaverant, Deut. 6. v. 11. Verùm ingrati erant, & indies delinquebant, non credebant in mirabilibus ejus, propterea deficere fecit in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione, Psal. 78. v. 33. 34.

Sicut igitur pomum non procul à stirpe cadere solet: ita & Judæi tempore Christi vestigia parentum legerunt, ut non abs re illos Christus serpentes & genimina viperarum appelleret, qui mensuram patrum suorum impleverint, & æternam damnationem sibi attraxerint, Matth. 23. v. 33.

Hæc etiam causa fuit, propter quam Deus tandem à gratia sua eos abjecerit, & Hierosolimam cum templo excindi permiserit, ut dispersi in totum orbem sint, in execrationem, & in stuporem, & in maledictionem, & in opprobrium, Jer. 42. v. 18. luculento exemplo, quod, qui cum peculio suo ejusmodi Tragœdiam egerit, nec hodie contemptoribus gratiæ pariturus sit. Adhuc enim manus ejus extensa est, Esai. 10. v. 4. arcus ejus tenta, & gladius ejus acutus, Psal. 7. v. 13. nisi pœnitentiam habuerimus, omnes similiter peribimus, Luc. 13. v. 3. 5.

Hinc Scriptura duarum dierum meminit, quæ sibi invicem consequuntur. Primus est dies gratiæ, quia in illa gratiam suam hominibus offert, & Tribus Israel fideliter offert, Osai. 2. v. 9. patiens enim erga nos est, nolens ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9.

Alter vocatur dies iræ, quæ certissimè sequi-

sequitur, ubi dies gratiæ in impietentiâ prætermittitur, & omnes admonitiones spernuntur, vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 24.

Hoc non insuper habete, Vos mei! & quia dies salutis nobis præsto adhuc est, fructus pœnitentiæ dignos agite: nolite obdurare corda vestra, sicut in Meribâ, secundum diem tentationis in deserto, Psal. 95. v. 8. Alioqui dies iræ irumpet, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & obscuritatis, Joel 2. v. 2. ubi Deus fores gratiæ claudet, & licet multum pulsemus, tamen dicitur: Non novi vos, Matth. 25. v. 12.

II. *Pacem quare.* Hic Christum Judæis exprobrare audimus, quod non cognoverint, quæ ad pacem eorum pertinent.

Hæc vocula multa comprehendit, nempe omnia bona, unde olim Concordiâ à Gentilibus ita picta, ut cornu copiæ manu continuerit, ex quo omnis generis fructus enati fuerint, quo indicatum, tempore pacis nusquam inopiam esse, sed potius verificari, quod Dominus ait: Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc, Zach. 8. v. 12. Hinc Pax in Hebræo denominatur, Schalom, quod est à radice Schalam, quod propriè significat perfectum, absolutum, & adhibetur de structura templi Salomonæi, ubi consummatio ejusdem his verbis concluditur: Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomô in domo Domini, 1. Reg. 7. v. 51.

Quilibet igitur pacem inquirat, & persequatur eam, Psal. 34. v. 15.

I. *In Choro.* Ut Ecclesiarum antistites stent in uno Spiritu unanimes, collaboran-

tes fidei Evangelii, Phil. 1. v. 28. Quamdiu architecti turris Babylonica eadem linguâ utebantur, opus benè succedebat: simulac verò confusio linguarum oriretur, ut non audiret unusquisque vocem proximi, cessarunt ædificare civitatem, Gen. 11. v. 6. ita etiam cum spiritali structura Ecclesiæ se res habet, ubi animarum Pastores concordiam colunt, & ad unum scopum, gloriam nempe Dei, & ædificationem Ecclesiæ, unanimi ore & corde tendunt, illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum, Psal. 133. v. ult. ut labor eorum non inanis sit in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. ubi verò linguæ confunduntur, ut hic propriam gloriam, ille proprium commodum intendat, & mera invidia regnet, ibi quod altera manu ædificatur, altera destruitur, Gal. 5. v. 15.

2. *In foro.* Quando enim Senatores concordēs, & ergâ subditos affectu paterno sunt, subditi verò ab illis omnia bona expectare possunt, ibi Respublica firmo pede stat. Funiculus enim triplex difficilè rumpitur, Eccles. 4. v. 12. Luc. 11. v. 17.

3. *In Thoro.* Tria enim probata sunt coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier, benè sibi consentientes, Sir. 25. v. 1. ex adverso verò, ubi zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16.

Sicut igitur Jehu ad equitem Jorami dixit: quid tibi & paci? 2. Reg. 9. v. 18. sic etiam ad rixosos dixeris: Quid tibi & paci? qui enim cum domesticis pacem non colit, is publicâ pace indignus est. Hinc Paulus: Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, 2. Cor. 13. v. 12.

Sem-



Semper itaque meminere o optimi, quæ ad pacem vestram pertinent. *Felix civitas, quæ cogitat tempore pacis, quæ sunt belli,* dixit Imperator Fridericus III. Idem nobis dictum esto. Et licet Deus pacem nobis restituerit, ne abutamus eâ, quasi illam amittere non possemus. O optimi lignis adhuc in cinere scintillat, & si Dominus punire vult, facile muscæ, quæ est in extremo fluminum, sibilare potest, ut dilectam Germaniam nostram infestet, Esa. 7. v. 18. Semper itaque ad animum revocemus, quàm castigatio crudelis bellum sit, Jer. 30. v. 14. & Domino adhuc longè agente, rogemus ea, quæ pacis sunt, Luc. 14. v. 32. Nam omnia in manu sua habet, & ut facit pacem, ita creat malum, Esa. 45. v. 7. ita tamen, ut diligentibus Deum, omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28.

III. *Peccata desce.* Quando enim lacrymas Christi rectè intuemur, non modò illæ sunt lacrymæ amoris, quas ex commiseratione profudit, ut ad sepulchrum Lazari, Joh. 11. v. 35. sed & lacrymæ vocationis, quibus saxea Hierosolymitanorum corda ad pœnitentiam commovere voluit. Audiamus quid Poeta dicat:

Quid magis est durum saxo? Quid mollius unda?

Dura tamen molli saxa cavantur aqua. Quod si igitur Christus flevit ob peccata aliena: quidni flere discamus propter peccata nostra propria, quibus omnia mala nobis attrahimus? Jer. 2. v. 19.

Athenis fuit ara Deæ Mentis consecra-

ta in quâ præter lacrymas nihil offerri fas fuit. Hæc idololatria fuit. Nos potius in corde nostro altare erigamus, in eoque triplices lacrymas offeramus:

1. *Lacrymas compunctionis, Busf. Thranen/* juxta illud Joel. 2. v. 13. *Nam lacryma peccatorum sunt delicia Angelorum,* ut Bernhardus ait, Luc. 15. v. 11.

2. *Lacrymas devotionis, Ber. Thranen/* ut de precibus Tobis & Saræ dicitur, Tob. 3. v. 1. ejusmodi oratio in cælum ascendit, & descendit Dei miseratio, Sir. 35. v. 21, Psal. 51. v. 19.

3. *Lacrymas dilectionis, Liebes. Thranen/* quales David & Jonathan profuderunt, 1. Sam. 20. v. 41. Eph. 4. v. 3. 1. Cor. 13. v. 13. 1. Petr. 4. v. 6.

Has triplices lacrymas, lacrymæ Christi nobis excutiant. Caveamus verò ne eliciamus *lacrymas viduarum aut orphanorum,* quæ quidem ad maxillam descendunt, & exclamatio, super deducentem eas, Sir. 35. v. 18. aut *lacrymas sacerdotum,* quæ Auditoribus minus expediunt, Hebr. 13. v. 17. aut *lacrymas pauperum,* quæ Dei vindictam accersunt, Psal. 12. v. 6. Habebimus sic Deum beneficium, qui absterget aliquando omnem lacrymam ab oculis nostris, Apoc. 21. v. 4. & ex hæc miseriarum valle transferet in arcem cœlestem, ubi non audietur ultra vox fletus, & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed quod hic in lacrymis seminavimus, ibi cum exultatione me-

temus, Fiat id per Christum,

Amen.

DOMI-